

opinionem celerius decessisset, et alia non ab-  
similibus controversia inter Venerabiles Fra-  
tres nostros bonæ memoriæ Cardinalem Sebas-  
tianum Antonium Tanarium tunc Episco-  
pum Tusculanum, et Cardinalem Francis-  
cum Judicem, tunc pariter Episcopum  
Prænestinum, in Romana Curia præsentem  
(Nobis omnino silentibus, et quacumque pe-  
titione prorsus abstinens, excitata fuisset,  
memoratus Clemens Prædecessor septem  
ejusdem Curie Præsules doctrina, et inte-  
gritate præstantes deputavit, illisque com-  
misit, ut probe, ac mature perpensis ra-  
tionum momentis, quæ hinc inde afferri  
poterant, et de quibus eos plene instrui cu-  
ravit, suum circa verum sensum antedi-  
ctæ Constitutionis Pauli IV. iudicium pro-  
ferrent, quod postea in hunc, qui sequitur  
modum protulerunt: « Die 28. Feb. 1721.  
habita fuit Congregatio particularis in Man-  
sionibus R. P. D. Auditoris Sanctissimi  
super causa Decanatus Sacri Collegii Cardi-  
nalem, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra,  
Marefusus Auditor Sanctissimi, Lancetta,  
Cerrus, Herrera, Ansæus, et Lambertinus  
ejusdem particularis Congregationis  
Secretarius: Omnesque unanimiter res-  
ponderunt: Consulendum esse Sanctissimo,  
quod declarare dignetur Decanatum Sac-  
Collegii Cardinalium devenisse vigore Bul-  
læ quintæ san. mem. Pauli IV. ad Eminen-  
tissimum D. Cardinalem Tanarium, uti  
Episcopum Cardinalem antiquiorem in Cu-  
ria præsentem tempore vacationis dicti De-  
canatus sequatæ per obitum Cardinalis  
Fulvii Astalii, exclusis Episcopis Cardinali-  
bus antiquioribus extra Curiam tempore  
dictæ vacationis commorantibus; non ex  
publica causa, et destinatione Romani Pon-  
tificis, etiamsi residerent in Ecclesiis,  
quarum administrationem ex dispensatione  
Apostolica retinent, et ita servandum esse  
perpetuis futuris vacationibus. Quoad aliam  
verò controversiam inter EE. DD. Cardin.  
Tanarium antiquiorem in Episcopatu, et ju-  
niorem in Cardinalatu, et Cardinalem Judi-  
cem juniorem in Episcopatu, sed antiquio-  
rem in Cardinalatu, causa non fuit propo-  
sita attendente cessione suo Juri facta ab eo-  
dem Cardinali Judice; Dominique unanimi-  
ter dixerunt, consulendum esse Sanctissimo,  
quod declarare dignetur ex hujusmodi ces-  
sione nullum in futuris Decanatus vacatio-  
nibus censerî irrogatum fuisse præjudicium  
Cardinalibus similia Jura foventibus. Facta-  
que eadem die per me infrascriptum Se-  
cretarium de præmissis Sanctissimo Domi-  
no Nostro relatione, Sanctitas sua Congre-  
gationis sententiam quoad utramque par-  
tem benigne approbavit, et perpetuis futu-  
ris temporibus observari mandavit. » *Pros-  
per. de Lambertinis Secretarius.* Idem vero  
Clemens Prædecessor non modo ante dicto-  
rum Præsulum Votum, seu consilium, ut  
præfertur, benigne probavit, perpetuisque  
futuris temporibus observari mandavit, ve-  
rum etiam illud in Consistorio secreto sub-  
inde, nempe die 3 Martii 1721. habito pa-  
lam recitari, et inter Acta ejusdem Consis-

torii ad perpetuam rei memoriam asservari,  
atque custodiri præcepit.

§ IV. Cum autem, seclusa Paulina Consti-  
tutione, maxime æquum, et rationi conso-  
num videatur, ut Cardinales Episcopi anti-  
quiores præfati, quamvis tempore vacationis  
Decanatus Sacri Collegii a Romana Curia ab-  
sint, et apud priores sibi commissas Ec-  
clesias personaliter resideant, ad eundem  
Decanatum assequendum admitti debeant:  
tum quia ipsi revera a Curia non absunt ex  
voluntate sua, sed ex formali necessitate,  
cum ex Divinarum, Canonicarumque Sanc-  
tionum, et Concilii potissimum Tridentini  
præscripto, apud priores Ecclesias jugiter  
residere cogantur; quin etiam ab eis disce-  
dere absque Sedis Apostolicæ licentia non  
possint, nec ab hoc apud ipsas residentione  
exempti sint, quamvis in Urbe, vel in Ecce-  
lesiis Suburbicariis, quæ illis in titulum sunt  
assignatæ commorari vellent, quemadmodum  
expresse sub gravissimis pœnis cavetur pec-  
culiari Constitutione piæ memoriæ Urbani  
Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri, cu-  
jus tenor est, qui sequitur, videlicet: « Ur-  
banus Papa VIII. ad perpetuam rei memo-  
riam. Sancta Synodus Tridentina sub reco-  
lendæ mem. Paulo Papa III. Prædecessore  
nostro ad disciplinam Ecclesiasticam restau-  
randam, provide statuit, ut omnes qua-  
cumque dignitate, gradu, et præminencia  
fulgentes Patriarchalibus, Primatialibus,  
Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis  
quibuscumque quovis nomine, et titulo præ-  
fecti apud eas personaliter resideant: alias,  
si per sex menses continuos abessent  
amissionis quartæ partis fructuum unius  
anni pœnam ipso Jure incurrerent; quod  
si per alios sex menses in absentia perseve-  
rarent, tunc aliam quartam partem fructuum  
hujusmodi eo ipso amitterent: crescente  
vero contumacia Romanus Pontifex suprema  
ejus auctoritate in ipsos absentes animad-  
vertere, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus uti-  
lioribus providere posset. Deinde sub fel.  
record. Pio IV. etiam Prædecessore nostro,  
eadem Synodus declaravit omnes eisdem  
Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolita-  
nis, et Cathedralibus Ecclesiis præfectos  
etiamsi S. R. E. Cardinales forent, obligari  
ad personalem residentiam in sua Ecclesia,  
vel Diœcesi faciendam; nec abesse posse,  
nisi ob legitimas causas in scriptis appro-  
bandas. Et in eorumdem Concilii decreto-  
rum executionem idem Pius IV. Prædeces-  
sor per suas sub plumbo sub Dat. 7. Kal-  
end. Decembris 1564. expeditas Litteras  
monuit eosdem præfatis Ecclesiis præfe-  
ctos in virtute Sanctæ Obœdientiæ, ac ultra  
pœnas in eodem Concilio contentas, sub  
privationis eorum a regimine, et administra-  
tione ipsarum Ecclesiarum, ac amissionis  
facultatum testandi, et disponendi, aliisque  
pœnis suo, et Romani Pontificis arbitrio im-  
ponendis mandavit eisdem, ut in Ecclesiis  
præfatis omnino personaliter resideant debe-  
rent. Denique certior factus, quod multi  
eorumdem Præfectorum erant inobedientes,  
Mctu suo proprio commisit Cameræ Apo-

stolicæ Auditori generali, ut contra illos  
usque ad sententiam procederet, et sibi  
deinde referret, ad effectum in eos priva-  
tionis, et depositionis, sententiam in suo  
Consistorio secreto pronuntiandi. Succes-  
sive alii etiam Romani Pontifices contra non  
residentes diversa Edicta publicari fecerunt,  
ac piæ mem. Gregorius XIII. etiam Præ-  
decessor noster per suum Decretum  
Consistoriale declaravit decreta ejusdem  
Concilii de personali residentia in Ecce-  
lesiis prædictis faciendi in S. R. E. Cardinal.  
locum habere, quocumque titulo illis præse-  
sent, ita ut a reatu, et pœnis in dicto Con-  
cilio statutis non excusarentur, nisi absentia  
causa in scriptis approbata foret, scientia-  
que, vel tolerantia non excusaret eosdem  
Cardinales, nec alios Episcopos. Similis  
quoque mem. Clemens Papa VIII. etiam  
Prædecessor noster per simile Consistoriale  
decretum pro observantia residentia perso-  
nalis, ab eodem Concilio ordinatæ, addidit  
pœnam inhabilitatis ad majores dignitates,  
et Ecclesias obtinendas, prout in præfatis  
Concilio, ac Lit. Apostol. Consistorialibus-  
que decretis latius continetur. Cumque etiam  
Nos edicta contra non residentes sæpius pu-  
blicari fecerimus, et tamen præteritis men-  
sibus aliqui etiam S. R. E. Cardinales, Me-  
tropolitanis, seu Cathedralibus Ecclesiis ex  
concessione Apostolica præfecti, suæ obli-  
gationis ad personalem residentiam in eis  
faciendam immemores, in grave animarum  
suarum detrimentum, ac ovium sibi credi-  
tarum præjudicium, ab eisdem Ecclesiis ab-  
esse continuarentur, etiam sub prætextu  
suorum Titulorum Cardinalatus, præsertim  
Episcopatum, prope Urbem, seu in Urbis  
districtu respective consistentium, et quod  
in eadem Urbe in conspectu, et præsentia  
nostra moram traherent; Nos pro nostro pas-  
torali debito, nedum animarum præfatarum,  
sed etiam Ecclesiarum indemnitati provi-  
dere volentes, in Consistorio nostro secreto  
declaravimus eosdem S. R. E. Cardinales,  
qui aliis Ecclesiis Metropolitanis, et Cath-  
edralibus præerant, et apud eas non resede-  
rant, nec residebant, non fecisse nec facere  
illarum fructus suos, etiam sub prætextu  
quod alicui, ex dictis Eccles. Episcop. qui-  
bus Cardinales in ordine priores præesse  
solent, præsideant et ibi vel in Urbe com-  
morentur, aut cujusvis tolerantia, vel facul-  
tatis, præterquam per Breve speciale no-  
strum, vel Romani Pontificis pro tempore  
existentis, sibi concessæ. Ideoque eosdem  
Cardinales monuimus pro prima vice, ut ad  
residentiam hujusmodi statim se conferrent,  
sub pœna amissionis fructuum eo ipso incur-  
renda, et aliis Canonicis pœnis, animo etiam  
procedendi ad ulteriora, si non paruisent,  
et prout in decreto nostro Consistoriali ple-  
nius habetur. Quia vero ab inde citra non  
omnes, prout tenebantur, nostra mandata  
executi sunt: Nos ut omnino debitum suum  
agnoscat, et animabus subjectis, quantum  
Nobis ex Alto conceditur, magis consultum  
sit, ulterius provideri volentes, Concilii Tri-  
dentini decretis, et Litteris Apostolicis, Mo-

tuique proprio, ac Consistorialibus decretis  
præfatis inhærentes, illorumque tenores,  
ac si de verbo ad verbum insererentur, pro-  
plene insertis, et expressis habentes, Motu  
simili, ex certa scientia, ac matura delibe-  
ratione nostris, deque Apostolicæ potestatis  
plenitudine præfati Concilii decreta, Litteras  
que Apostolicas, ac primo dictum Motum  
proprium, Decretaque Consistorialia præ-  
fata, et in eis contenta quæcumque nostra  
Constitutione perpetua confirmamus, et  
approbamus, et, quatenus foret opus, adver-  
sus quemcumque præsumptum non usum,  
vel contrarium usum, innovamus, et plenis-  
sime restituimus. Insuperque omnes et sin-  
gulos Ecclesiis Patriarchalibus, Primatiali-  
bus, Metropolitanis, Archiepiscopalibus, et  
Episcopalibus, quocumque nomine, seu  
titulo præfectos, etiam S. R. E. Cardinales,  
a præfatis suis Ecclesiis absentes, in virtute  
sanctæ obœdientia, ac subinterdicto ingressus  
Ecclesiæ, amissionisque tam fructuum ear-  
undem Ecclesiarum pro tempore quo  
absentia duraverit, quam facultatum tes-  
tandi, et disponendi de bonis suis, a Sede  
Apostolica sibi alias concessarum, eo ipso  
absque alia declaratione incurrendis, nec  
non privationis a regimine et administratione  
suarum Ecclesiarum hujusmodi, aliisque  
pœnis nostro, et Romani Pontificis pro tem-  
pore existentis arbitrio infligendis, districto  
præcipiendo monemus; ut omnibus postpo-  
sitis quanto citius, in Romana Curia videlicet  
moram trahentes intra unum, extra vero  
eam in Italia intra duos, extra vero Italiam  
existentes intra quatuor menses a die pu-  
blicationis præsentium in locis infrascriptis  
faciendæ computandos, quos pro tribus Ca-  
nonicis monitionibus, peremptoriisque di-  
lationibus, et terminis respective et assi-  
gnamus, et assignatos esse volumus, se  
itineri committere, et legitimis itineribus  
ad Ecclesias, seu Diœceses suas proficisci,  
et se personaliter conferre, ac ibidem, ut  
tenentur, resideant debeant. Eisdem Præ-  
fectis postquam personaliter ad residendum  
se contulerint, necnon quibuscumque aliis  
apud suas Ecclesias quocumque perso-  
naliter residentibus, sub eisdem pœnis,  
etiam eo ipso respective incurrendis, injun-  
gimus, ne ab eorum Ecclesiis discedant,  
nisi prius obtenta nostra, et Romani Pon-  
tificis pro tempore existentis, per Breve, seu  
Litteras missivas, licentia. Illos etiam qui in  
posterum per nos, seu Romanos Pontifices  
successores nostros, alicui præfatarum Ecce-  
siarum Patriarchalium, Primatialium Metro-  
politanarum, Archiepiscopalium, et episco-  
palium quovis nomine, vel titulo præfecti fue-  
rint, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-  
dinales quocumque fuerint, vel sint sub eis-  
dem pœnis, etiam eo ipso respective incur-  
rendis debeant, et quilibet ipsorum debeat  
intra præfatum tempus, a die eorum promotio-  
nis ad aliquam præfatarum Ecclesiarum in-  
choandum, quod eis pro tribus monitionibus,  
et dilationibus, ut præfertur, ex nunc assigna-  
mus, pariter se itineri committere, et ad Ec-  
clesias, sive Diœceses sibi commissas, ad per-



sonaliter in eis residendum, conferre, et respective, postquam residere inceperit, ab illis non discedere, nisi prius obtenta a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente, licentia præfata. At quarum pœnarum incursu nolumus posse aliquem se excusare prætextu, et ratione cujuscumque servitii quomodolibet præstiti, et præstandi, pro gerendis, et tractandis negotiis quorumcumque Principum, etiam Imperatoris, et Regum, aut rerum publicarum Regnorum, ac Provinciarum; nec ratione cujuslibet jurisdictionis, vel mandati eorum, vel earum, quandocumque facti, vel faciendi, nec etiam ratione prosecutionis seu defensionis quarumcumque litium, seu controversiarum etiam Ecclesiasticarum; vel ineundi foederis, aut cujuscumque alterius negotii etiam gravissimi, et speciali mentione digni tractandi; vel distantiae locorum, aut brevitatis temporis, ob quam non videatur expectanda Sedis Apostolicæ licentia præfata, antequam a suis Ecclesiis, et Diocesis discendant; aut ratione alterius cujuscumque causæ, vel occasionis, etiam publicæ, vel alias favorabilis, et æque piæ etiam cujuslibet utilitatis, sive necessitatis Ecclesiarum, et personarum: præterquam personalis interestiæ in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus; seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris, aut Reipublicæ officii, Episcopaliibus, vel Ecclesiis majoribus præfatis adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari solent: et tunc pro tempore, quo illæ Synodi, Congregationes, et Assembleæ, exercitiumque muneris, seu officii publici, ipsis Ecclesiis adjuncti, actu duraverint, quibus finitis recto tramite ad Ecclesias præfatas sibi commissas se conferre debeant. Nec etiam a prædicta residentia, et pœnarum præfatarum incursu volumus excusari S. R. E. Cardinales nunc, et pro tempore existentes alicui præfatarum Ecclesiarum Præfectos, seu præficiendos, etiam si, tanquam in ordine priores aliquem ex dietis Titulis Episcopaliibus prope Urbem, vel in ejus districtu consistentibus obtineant, et in posterum obtinuerint, et in prædictis Episcopaliibus Titularibus Urbi proximis resederint, vel in Romana curia in suis Titulis respective etiam Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus nostris, scientibus, et videntibus, et quomodolibet tolerantibus, moram traxerint: ita ut nulla nostra, ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum conniventia, taciturnitate, et ad quarumcumque functionum, et actuum Pontificalium, etiam publicorum, et solemnium celebrationem receptione, et admissione, umquam tueri se possint. Et pro præmissorum et infrascriptorum inviolabili observatione committimus, et mandamus dilecto Filio Camera Apostolicæ generali Auditori, nunc et pro tempore existenti, quatenus contra omnes et singulos prædictos, tam in Urbe, quam alibi, et ubique locorum, nunc et pro tempore commorantes, et in suis Ecclesiis, seu Diocesis non residentes, per affixio-

nem ad valvas Basilicæ S. Petri, ac in Acio Campi Floræ, et quoad præsentem in Romana Curia ad abundantiore cautelam, etiam dimissa copia, procedat: et constituto sibi, quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter, et de plano, sola veritate inspecta, et manu Regia de contraventione, et inobedientia præfatis, usque ad sententiam exclusive procedat; et deinde Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti referat, ut Nos, et Romanus Pontifex pro tempore existens, in Consistorio ad sententiam declarationis incursus pœnarum, ac respective privationis, aliarumque punitionum præfatarum inobedientium, valeamus, et ipse Pontifex Romanus pro tempore existens valeat procedere. Volumus tamen Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primate et Patriarchas, etiam S. R. E. Cardinales citra Montes, vel Mare existentes per quatuor, alios vero ultra Montes, vel Mare degentes per septem menses continuos a residentia in præfatis Ecclesiis faciendam, ad effectum visitandi limina SS. Apostolorum Petri, et Pauli juxta Sacros Canones, ac Apostolicas Constitutiones pro qualibet visitatione excusari: ita tamen, ut tunc illis durantibus visitationis hujusmodi munus explere teneantur, nec ad alios actus se divertant. Cardinalibus vero nunc, et pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicæ ad electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum Conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam discedendi ab Ecclesiis præfatis sibi commissis, habita tamen prius certanotitia vacationis ipsius Sedis Apostolicæ, et extra residentiam in loco, in quo electionem hujusmodi celebrari contingeret, commorandi, et permanendi usque ad peractam electionem, ac etiam postea per duos menses, postquam Romanus Pontifex Coronationis suæ insignia suscepit: quo tempore elapso præfati Cardinales, nisi illico, ut præfertur, ad Ecclesias præfatas, quibus præsidere eos contigerit, se contulerint, subjaceant pœnis supradictis. Præsentem quoque litteras, etc. Sicque, et non aliter in præmissis, etc. Non obstantibus præmissis, etc. Volumus etiam, quod ii, qui duabus, vel pluribus Ecclesiis præfatis, ex earum unione, vel alias ex concessione, seu dispensatione Apostolica, quocumque nomine, vel titulo præfecti sunt, vel pro tempore erunt, a residentia, et pœnis hujusmodi excusentur, dummodo in earum altera in qua de Jure residere debent, vere, et personaliter resideant, exceptis tamen, ut præfertur, Ecclesiis Episcopaliibus Urbi proximis, quibus Cardinales in ordine priores præesse solent: residentia enim, si quæ apud præfatas Ecclesias Titularum Cardinalium fieret aliquam excusationem eisdem Cardinalibus, ut præfertur, non præstaret, quo minus ipsi in alia, vel aliis Ecclesiis præfatis, quibus eos etiam pro tempore præfici contingerit, residere omnino teneantur. Quodque, ut præsentem, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 12. Decembris 1634. Pon-

tificatus nostri anno duodecimo. » Tum etiam, quia si juxta Paulinam Constitutionem a Decanatu non repellitur Episcopus Cardinalis antiquior ex causa publica absens, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatus: ob eandem quoque rationem repelli non debere videtur Episcopus Cardinalis antiquior, qui apud priorem Ecclesiam residet. Is enim vere a Romana Curia abesse dicitur ex causa publica, publicam scilicet particularis Ecclesiæ, cui præest, utilitatem, in qua publicum quoque universalis Ecclesiæ commodum continetur, respiciente. Præterea negari non potest quin ipse extra Curiam per Romanum Pontificem fuerit destinatus, dum idem Romanus Pontifex non modo illi prioris Ecclesiæ regimen destinavit, sed etiam, ut commissam sibi Pastoralis sollicitudinis partem cumulatus expleret, eum ad jugiter residendum apud Ecclesiam sibi destinatum, sub gravissimis in præinserta potissimum Urbani Prædecessoris Constitutione sancitis pœnis compulsi, et obstrinxit. Accedit præmissis, quod ab ejusmodi exclusione Episcoporum Cardinalium antiquiorum extra Romanam Curiam in prioribus Ecclesiis residentium maximum illud promanat absurdum, quo alienæ mortis detestabile votum ingeritur: nam, sicut accepimus, et Nobis etiam ipsis evenisse non diffitemur, statim ac Cardinalis Sacri Collegii Decanus gravi et periculoso morbo laborat, illico Episcopus Cardinalis antiquior absens, qui ipsi in Decanatu successurus est, amicorum litteris ad Urbem quantocius repetendam incitatur, ut tempore obitus ejusdem Cardinalis Decani in Romana Curia præsens sit, adeoque ad eum ex Paulinæ Constitutionis præscripto Decanatus deferatur. Unde non sine gravi bonorum offensione, et Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento, in Urbe conspicitur Episcopus Cardinalis antiquior, in Decanatu proxime successurus, qui Cardinalis Decani ægrotantis mortem exspectat, ut ad ipsum dignitas vacatura deveniat: contra saluberrimum Lateranensis Concilii monitum, relatum in cap. 2. de concessione Præbendæ, cujus verba sunt: « Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum et Beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum; turpe est, et divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei future successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt. »

§ V. Nos itaque, qui deinde prædictum Sacri Collegii Cardinalium Decanatum absque ulla contentione ob illius vacationem retroactis mensibus secutam per obitum memorati Cardinalis Tanarii Decani, dum in Romana Curia præsentem essemus, et in Conclavi, ubi, Divina sic disponente clementia, ad summi Apostolatus fastigium evecti fuimus, reperiremur, præmissis omnibus, quantum cum Domino possumus, occurrere, et obviare, ac alias desuper opportune providere volentes: Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præfatis aliis-

que justis, et rationalibus causis animum nostrum moventibus adducti, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, atque decernimus, quod Episcopus Cardinalis antiquior, qui una cum aliqua ex Cathedralibus Suburbicariis præfatis in Titulum Cardinalibus antiquioribus assignari solitis, aliam retinebit Cathedralis, seu Metropolitanam Ecclesiam in administratione, dummodo tamen apud ipsam secundo dictam Ecclesiam personaliter resideat tempore vacationis Decanatus ejusdem Sacri Collegii, de cætero ad ipsum Decanatum admitti debeat, et admittatur, perinde ac si occurrente illius vacatione in Romana Curia præsens fuisset, ita ut absentia ab Urbe ad præmissum effectum ei nullatenus obesse possit. Quin etiam volumus, et declaramus, ipsum Decanatum ad prædictum Episcopum Cardinalem antiquiorem absentem, et apud priorem Ecclesiam, ut præfertur actu residentem, ipso Jure devenire debere, eo prorsus modo, quo in Paulina Constitutione ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum devenire debere decernitur, ita quod inter eos nullum amplius discrimen, seu differentia constituatur; ac ita perpetuis futuris temporibus servari præcipimus, et mandamus.

§ VI. Præterea expedire censes, ut e medio tollatur, ac penitus exstinguatur alia pariter controversia, alias, sicut præmittitur, excitata, et non definita, utrum scilicet in assecutione sæpe memorati Decanatus Cardinalis antiquior in Episcopatu Suburbicario, et junior in Cardinalatu, præferendus sit Cardinali juniore in Episcopatu, sed antiquiori in Cardinalatu, vel e contra; motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, prælationem deberi Cardinali antiquiori in Episcopatu, licet sit junior in Cardinalatu, decernimus, et declaramus, ac ita deinceps in occurrentibus Decanatus vacationibus perpetuo servari volumus, et mandamus.

§ VII. Quoniam vero ab antiquo tempore, ac præsertim ab edita Paulina Constitutione usque ad præsentem diem, Cardinalis Sacri Collegii Decanus Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum Episcopatum semper obtinuit, adeoque sive ex præsumpta earum cum Decanatu unione, sive alio titulo, speciale jus ad ipsum fovere videtur, in quo mentis, ac intentionis nostræ non est, ut eidem Cardinali Decano præjudicium aliquod deferatur: contingere autem facile potest, quod Episcopus Cardinalis antiquior a Romana Curia absens, et apud suam priorem Ecclesiam residens, ad quem Decanatus ex præmissis in posterum deveniet, ad Urbem celeriter accedere, et primo Consistorio, in quo memoratum Ostiensem, et Veliternensem Episcopatum optare deberet, præsens interesse nequeat: Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, optionem prædictarum Ostiensis et Veliternensis Ecclesiarum Cardinali, qui pro tempore fuerit ejusdem Sacri Collegii Deca-



mus, specialiter reservamus, ac reservatum esse volumus, et declaramus, ita ut eorundem Ecclesiarum Episcopatum nemo alius optare unquam possit, sed ad Card. Decanum prædictum privative quoad alios quoscumque perpetuis futuris temporibus ejusmodi optio pertineat, ac pertinere debeat. Volumus tamen, atque decernimus, quod idem Episcopus Cardinalis antiquior a Curia absens, et apud priorem Ecclesiam, ut præfertur, residens, postquam ad eum Sacri Collegii Decanatus venerit, quantocius poterit, ad Urbem se conferre, Summoque Pontifici in Consistorio, ut moris est, pro optione eorundem Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum supplicare teneatur. Quod si notoria ægritudine fuerit impeditus, vel ob aliam justam, et gravem causam a Romano Pontifice pro tempore existente probandam, ad Urbem venire nequiverit: motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, eidem Cardinali Decano, ut in prænarratis casibus per suum legitimum Procuratorem antedictas Ostiensem, et Veliternensem Ecclesias optare, et vigore optionis hujusmodi eas assequi libere, et licite possit, et valeat, non secus, ac ipse præsens personaliter illas optasset, licentiam, et facultatem in Domino concedimus, et impertimur.

§ VIII. Decernentes præsentis Litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod supradicti, et alii quicumque in præmissis jus, vel interesse habentes, aut habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, ac auditi, et causæ propter quas præsentis amaranunt, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, seu aliis quibusvis de causis, quantumvis urgentibus, ullo unquam tempore a quoquam de subreptionis, vel obreptionis, vitio, aut intentionis nostræ vel alio quolibet quantumvis magno, formali, et substantiali defectu notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quæsito prætextu, vel colore in controversiam vocari, ac terminos Juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut quempiam impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessio, uti nullatenus posse; nec sub quibuslibet similibus, vel dissimilibus Constitutionum, sive dispositionum, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores, et Successores Nostros, ac etiam per Nos factarum, et faciendarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendere: sed easdem præsentis Litteras semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, nec non prædictis S. R. E. Cardinalibus a Romana Curia absentibus, et apud suas priores Ecclesias, ut præfertur, actu residentibus plenissime suffragari: ab omnibus vero aliis, ad quos spectant, et pro

tempore quodcumque spectabunt, inviolabiliter, et inconcusse observari debere; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Cardinales, etiam de Latere Delegatos, nec non quascumque eorundem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quolibet auctoritate, præminencia, et potestate fungentes, et quodcumque functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari, et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ IX. Non obstantibus præinserta Constitutione Pauli IV. Prædecessoris nostri, et præinserto similiter Consilio, seu Voto Congregationis septem Præsulum a fel. rec. Clemente XI Prædecessore etiam Nostro deputatorum, ab eo, ut præfertur, specialiter approbato, nec non Decretis Consistorialibus san. mem. Pauli III. et S. Pii V. Romanorum Pontificum pariter Prædecessorum Nostrorum, et constitutione san. mem. Innocentii Papæ X. Prædecessoris itidem Nostri super residentia ejusdem S. R. E. Cardinalium apud Sedem Apostolicam, et quibusvis Nostris, et Cancellariæ Apostolicæ Regulis, et signanter illa de Jure quæsito non tollendo, et alia, quod Cardinales in Constitutionibus, et Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorundem Cardinalium favorem concernant, vel de ipsorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, et quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, et aliis Decretis Consistorialibus quibuscumque, nec non dicti Sacri Collegii, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, Decretis, Statutis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, et indulgentiis, ac litteris Apostolicis quibuscumque sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis Decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, et approbatis, ac pluries, et quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia ex qua forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, causas, et occasiones præsentibus pro plene, et sufficienter, et exactissime expressis, insertis, servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et ex-

presse, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, et mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ X. Volumus autem, etc.

§ XI. Nulli ergo omnino, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1724. septimo Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno primo. (21. Sanctissimi D. N. D. Clementis Pp. XII Constitutione, qua prævia confirmatione, et innovatione alterius Constitut. san. mem. Papæ Pauli IV. anno 1555. editæ decernitur, Decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ipso Jure deferendum esse Cardinali antiquiori Episcopo, qui tempore vacationis ipsius Decanatus, in Romana Curia præsens, vel ex causa publica ac Romani Pontificis destinatione dumtaxat, non tamen ratione residentie apud aliam Ecclesiam sibi commissam, a dicta Curia absens fuerit; aliaque insuper statuuntur, et ordinantur tam circa ejusmodi Decanatum, quam circa sex Episcopatus suburbicarios, eisdem Cardinalibus assignari solitis pro Titulo sui Cardinalatus cum clausulis, et derogationibus opportunis.

#### CLEMENS PAPA XII.

Pastorale Officium, quo Domini gregis regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præsidemus, exigit, ut inter gravissimas multiplicisque Apostolicæ servitutis curas, quibus assidue premimur, ad ea, quæ Sacrum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, Sedis Beati Petri, et Universæ Ecclesiæ Senatam amplissimum spectant, rite ac recte constituenda, atque ordinanda peculiari studio advigilemus. Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor Noster provide considerans, eosdem S. R. E. Cardinales in partem Apostolicæ sollicitudinis vocari, ut pro tempore existenti Romano Pontifici in ipsius Universalis Ecclesiæ administratione assistant, isque eorum consilio agenda disponat, ac partem præcipuam Sacri Corporis, et membra ipsius Romani Pontificis existere; simulque attendens dicti Collegii Cardinalium Decanum singulari negotiorum hujus Sanctæ Sedis notitia, ac peritia, quæ absque diutina continuæque in Romana Curia residentia vix haberi potest, præditum esse oportere, habita super his cum tunc existentibus ejusdem S. R. E. Cardinalibus in Consistorio suo Secretario matura deliberatione, de illorum consilio, et unanimi assensu sancivit, quod Decanatus prædicti Sacri Collegii de cætero perpetuis futuris temporibus ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum devinire posset, et alias prout in Constitutione ipsius Pauli Prædecessoris anno Incarnationis Dominicæ 1555, undecimo Kal. Septembr. Pontificatus sui anno primo desuper edita uberius continetur.

§ I. Cumque postmodum subortum fuisset dubium, an juxta sensum istius Consti-

tutionis, Decanatus hujusmodi deferri deberet Episcopis Cardinalibus promotione antiquioribus, qui, occurrente dicti Decanatus vacatione, ab ipsa quidem Curia abessent, sed apud Metropolitanas seu Cathedralis Ecclesias residerent, quarum regimen et administrationem una cum aliqua ex sex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, quæ Cardinalibus antiquioribus pro titulo sui Cardinalibus assignari consueverunt, ex concessionem Apostolica retinerent, rec. mem. Clemens Papa XI. Prædecessor etiam noster hujus quæstionis, quam dirimi volebat, discussionem commisit septem ejusdem Curie Prælatibus doctrina, prudentia, et integritate præstantibus, qui re universa accuratissime, ut par erat, expensa, unanimiter consueverunt, minime suffragari ipsis Episcopis Cardinalibus antiquioribus ad hujusmodi Decanatum obtinendum, eorum a Romana Curia absentiam ex causa suæ residentie apud Metropolitanas, seu Cathedralis Ecclesias, quibus ex Apostolica dispensatione præerant; quam quidem sententiam idem Clemens Prædecessor non modo probavit, ac perpetuis itidem futuris temporibus inconcusse observari mandavit, sed insuper in suo quoque Consistorio Secretario die 3. mensis Martii 1721. habito, palam recitari, et inter acta Consistorialia deferri, et custodiri jussit.

§ II. Quamquam vero piæ memoriæ Benedictus Papa XIII. Prædecessor pariter noster per quasdam sub plumbo anno item Incarnationis Dominicæ 1724. septimo Idus Sept. Pontificatus sui anno primo, absentiam a Curia præfata Episc. Cardinalibus antiquioribus, dummodo apud Metropolitanas, seu Cathedralis Ecclesias, quas in administrationem obtineant, personaliter resideant, in assecutionem ejusdem Decanatus nullatenus obesse, sed Decanatum hujusmodi ipso Jure deferri prædictis Episcopis Cardinalibus antiquioribus absentibus, et apud dictas Metropolitanas, seu Cathedralis Ecclesias actu residentibus, statuere tunc opportunum duxerit, prout in ejus Litteris præfatis, quarum perinde ac supradictæ Pauli Prædecessoris Constitutionis tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis haberi volumus, plenius etiam continetur. Nos tamen ad gravissima, quibus memorata Pauli Prædecessoris Sanctio niti dignoscitur rationum momenta, nostræ dirigentes considerationis intuitum, aliisque justis, et rationabilibus causis animum nostrum moventibus adducti, post deliberationem, quam super præmissis cum pluribus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. prædictæ Cardinalibus habuimus diligentem, de eorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione illam Pauli Prædecessoris confirmantes, ac innovantes, decernimus, ac mandamus, ut deinceps quotiescumque Decanatus prædictus quomodolibet vacaverit, ipso Jure in eundem Decanatum succedat Episcopus Cardinalis an-